

THE CHARTER OF MARYLAND.

V. IPSUMQUE modo baronem de Baltimore et hæredes suos regionis prædictæ cæterorumque omnium premissorum veros et absolutos dominos et proprietarios (exceptis præ exceptis) salvâ semper fide et liganciâ ac dominio directo NOBIS hæredibus et successoribus nostris debitâ pro NOBIS hæredibus et successoribus nostris facimus creamus et constituimus per præfentes habendum tenendum possidendum et gaudendum prædictam regionem insulas insululas et cætera præmissa præfato modo baroni de Baltimore et hæredibus et assignatis suis ad solum et proprium opus et usum ipsius modo baronis de Baltimore hæredum et assignatorum suorum imperpetuum. Tenendum de NOBIS hæredibus et successoribus nostris regibus Angliae ut de castro nostro de Windsor in comitatu nostro Berkeia in libero et communis focaggio per fidelitatem tantum pro omnibus servitiis et non in capite nec per servitium militare Reddendo inde NOBIS hæredibus et successoribus nostris duas sagittas Indicas partium illarum apud dictum castrum de Windsor singulis annis prædendas in Die Martis in septimana Palmaria. Ac etiam quintam partem omnis metalli aurei et argentei Anglice of gold and silver ore, quod infra prædictos limites de tempore in tempus contigerit inveniri.

VI. UT vero prædicta regio sic a NOBIS concessa et descripta cæteris omnibus illius terræ regionibus præfulget et amplioribus titulis decoretur SCIATIS quod nos de ampliori gratia nostra certa scientia et mero motu nostris dictam regionem ac insulas in provinciam erigendas esse duximus prout eas ex plenitudine potestatis et prærogative nostræ regiae pro NOBIS hæredibus et successoribus nostris in provinciam erigimus et incorporamus eamque Terram Mariæ Anglice MARYLAND nominamus et sic in futuro nominari volumus.

VII. ET quoniam præfatum modo baronem de Baltimore totius provincie antedictæ verum dominum et proprietarium superius fecimus et ordinavimus ulterius igitur SCIATIS quod nos pro NOBIS, hæredibus et successoribus nostris eidem modo Baroni (de cuius fide prudentia justitia et provida animi circumspectione plurimum confidimus) et hæredibus suis pro bono et felici dictæ provincie regimine leges quascunque liceat ad publicum ejusdem provincie statum sive ad privatam singulorum utilitatem pertinentes juxta sanas discretiones suas de et cum consilio assensu et approbatione liberorum hominum ejusdem provincie vel majoris partis corundem vel eorum legatorum vel deputatorum quos ad leges condendas quum et quoties opus fuerit a præfato modo barone de Baltimore ac hæredibus suis ac in formâ quæ illi vel illis melior esse videbitur convocari volumus condendi faciendi edendi et sub sigillo prædicti modo baronis de Baltimore ac hæredum suorum promulgandi easque in omnes homines infra dictam provinciam et limites ejusdem pro tempore existentes vel sub illius vel illorum regimine et potestate Terram Mariæ versus navigantes aut inde redeentes extra vel ad terram Angliae vel extra vel ad aliqua alia dominia nostra vel aliena ubilibet constituta per multatum impositionem incarcerationem et aliam quamlibet coercionem etiam si oporteat et delicti qualitas id exigerit per membris vel vitæ privationem per se præfatum modo baronem de Baltimore et hæredes suos seu per deputatum locum tenentem judices iusticiarios magistratos officiarios et ministros suos secundum tenorem ac veram intentionem præalentium constituendos et conficiendos debitè exequendi judicesque et iusticiarios magistratos et officiarios quoscunque ad quascunque causas et cum quacunque potestate et in formâ quæ præfato modo baroni de Baltimore vel hæredibus suis melior esse videbitur terra illa ac partium illarum mari constituendi et ordinandi crimina item et excessus quoscunque contra hujusmodi leges sive ante judicium acceptum sive post remittendi relaxandi et pardoni et abolendi cæteraque omnia alia et singula ad iustitiae complementum curiasque præatoria et tribunalia judiciorum formas et procedendi modos pertinentia etiam si de illis expressa in presentibus non fiat mentio ac in curiis prætoriis et tribunalibus illis in actionibus sectis causis et negotiis quibuscumque tam criminalibus quam personalibus realibus et mixtis ac prætoriis procedendi placita tenendi et terminandi per judices per ipsos delegatos liberam plenam et omnimodam tenore præsentium concedimus potestatem Quas quidem leges sic ut præmititur promulgandas absolutissimâ juris firmitate nisi et ab omnibus hominibus subditis et ligeis nostris hæredum et successorum nostrorum quatenus cas concernunt in partibus illis custodiri et sub pœnis in eisdem expressis et exprimendis inviolabiliter observari volumus injungimus præcipimus et mandamus Ita tamen quod leges prædictæ sint rationi consonæ et non sint repugnantes nec contrarie sed (quoad convenienter fieri poterit) consentaneæ legibus statutis consuetudinibus ac juribus hujus regni nostri Angliae.

VIII. ET quoniam in tantæ provincie regimine repentinae casus sœpenumero contingant quibus necessè erit remedium adhiberi antequam liberi tenentes dictæ provincie legati vel deputati sui ad leges condendas convocari possint nec idoneum erit continuò tali casu emergente tantum populum convocari Idcirco pro meliori gubernatione tantæ provincie volumus et ordinamus ac per præsentes pro

NOBIS